


3+4/82

KALENDIS APRILIBVS

MCMLXXXII



RVMOR VARIVS



TOMUS 5

FASC. 34

# RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE  
LATINA TVRICENSI in aedi-  
dibus AKADis editur.

RVMOR VARIVS sexies in  
singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis:  
(annuum)

In Helvetia	Fr. 12.--
In Germania	DM 16.--
In Austria	ÖS 120.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 18.--
In terris trans	
maria sitis	U\$ 12.--

Singula specimina qui  
rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Ulricus Aeschlimann  
Martinus Meier  
Dr. W.F. Ebel (Amicus)

Impressum et dispositionem rerum  
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda  
sunt ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS  
Postfach 883  
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der  
SOCIETAS LATINA TVRICENSIS  
unter dem Patronat der AKAD  
herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal  
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis:  
(jährlich)

Schweiz	Fr. 12.--
Deutschland	DM 16.--
Oesterreich	ÖS 120.--

übriges Europa Fr. 18.--

Uebersee U\$ 12.--

Einzelne Probenummern können  
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam:

Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Ulricus Aeschlimann  
Martin Meier  
Dr. W.F. Ebel (Amicus)

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS  
Postfach 883  
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

# PRÆFATIO

Cari legentes,

Hodie pauca ratis partibus, quae in hoc fasciculo sunt,  
anteponam. Numerus enim earum tantus est, ut paginae XX  
huius libelli ad eas ferendas vix suppetant.

Series hoc fasciculo incipit, quam Prof. Plinius Prio-  
reschi Omahae in civitate Nebrascorum Americana habitans  
composuit. Scripsit seriem forma tragoediae, cui titulum  
"Tragoedia Beniti Mussolini" dedit. Hodie primam scaenam  
actus primi divulgamus; scaenae actusque reliqui posteri-  
oribus libellis insequentur.

Invenietis alteram ratam partem, quam nobis auctor Prof.  
Dr. Hermann Koller Rumori Vario imprimendam misit. Quae  
dissert de arte natandi, quomodo saeculo XVI Turici culta  
sit. Tertiam et quartam sub titulo "Litterae ad legentes"  
invenitis: Rochi Habitzky nuntium de diebus, quibus ses-  
siunculae regulares Latinitatis amantibus hoc anno habeantur  
Duisburgi (scilicet in caupona "Aulae Balcanicae"  
(Balkanhof); partem finalem epistulae, qua Amicus novus  
socius in collegium nostrum ascitus legentes iam saluta-  
vit (vide Rumorem Varium 1+2/82).

Continet hic fasciculus etiam narrationem nobis a Barbara  
Maier missam de celebri templo Musarum Mediolani sito,  
quod ipsa nuper visitavit.

Sunt denique multa alia in hoc libello, quae lectu digna  
esse censeo. Utrum recte censeam necne, vosmet, cari ami-  
ci, ipsi diiudicate!

Finio illis versibus clarissimis, quibus iam Horatius ante  
circa MM annos usus est (Sat. I, 1, 120-121):

"iam satis est, ne me Crispini scrinia lippi  
compilasse putes, verbum non amplius addam."

Valete!

Udalricus Aeschlimann

# Litterae ad legentes

## AMICUS NUNTIUS LEGENTIBUS BENEVOLENTIBUS

### Pars secunda

Egometipse autem, vir iis radicibus, consilium cepi Latinitatem assidue in dies singulos, in singula diei tempora diligenter colere, propositum illud sinceriter servare et tenere, consilium illud semel captum semper optima fide persequi. Ita sunt res nostrae: nam tibi seris, tibi et metes. Utinam Deus ratum esse iubeat, ut benevole approbet. Ingenium excolere disciplinis, litteris operam dare, scientiam enim plurimarum revera rerum comprehendere et consequi, in studium omne otiosum tempus contere, diligenter penitusque cognoscere disciplinas, studiose et multum in veteribus scriptis versari, usum librorum quaerere, in aliqua re intellegendam esse et versatum, artium studiis eruditum esse, id enim magni est momenti, id refert interestque, id, ut paucis dicam, ut brevi praecidam, plurimum valet. Quid satis dici potest de gravitate et eruditione cultiore Latinitatis? Nusquam terrarum gentiumque hodie vera regnat pax, sed inter nosmetipsos, amici mei carissimi, cultores diligentes Latinitatis sempiternae, pax stabilis et firma et mansura semper siet. Utinam Deus ita faxit! Sententia contentionum nostrarum communium siet haec: LATINITATI INSERVIENDO LAETIFICAMUR!

In posterum Vosmet poematis parvulis, fabellis, narratiunculis, facetiis exhilare gaudioque Vos complere meum erit (officium). Id unum solum Vos oro obsecroque, id Vos hortor, id Vos admoneo, ut coniveatis benevole in lapsibus meis et erratis, ut magnam indulgentiam veniamque mihi semper detis et tribuatis, bona omni tempore cum venia verba mea patienter toleranterque audiatis, erroribus ignoscatis memetque omnino indulgentia permagna tractetis. Id teneatis, ne quando Amicum decipiatis neve deseratis. Quod Deus approbet nutumque numenque Suum nobis adnuat!

Deo annuente et approbante et bene iuvante et secundante et ducente Christoque adiutore et deprecatore praefascine dixerim, ut id, quod coepimus, inchoavimus, conati sumus magnam spem vincendarum difficultatum habentes, id excolere, id confirmare, id explicare, id evolvere libenter velimus. Faxit Deus! Pergamus ire, qua ire iam coepimus, via virtutis veterumque vestigia sequamur. Gratulari tamquam mihimetipsi de honoribus occursationibusque mihi tam benevole frequenterque tributis restat. Facere non possum, quin iterum etiam et etiam omnibus sodalibus toto pectore gratias agam mille modis. O terque quaterque me beatum, ter et amplius me felicem, sescenties me fortunatum Amicum! Gloria virtutem tamquam umbra est secuta! In familiaritatem Vestram memet recipere, amicitiam perpetuam mecum colere gerereque Vos navibus quadrigisque oro obsecroque, passis manibus me adsciscere Vos tumultuosissime adorior.

Sed nunc mihi est perorandum finemque faciam epistulam scribendi, praefari desinamus atque haec quidem hactenus. In extrema epistula iterum Vosmet id unum solum obtestari et obsecrare, id implorare et orare, id velis remisque Vos admone-re, id manibus pedibusque Vos adhortari in mente habeo, ut Latinitati assidue studere numquam desinatis, sed uti adhuc studere pergatis. Latinitatem penitus perdiscere, percipere, pernovisse non cuivis homini contingit, nam maximum vitae vitium est, quod tam brevis et imperfecta est, sed tantum labore strenuo sibi parare, quantum omnino potest, id nobis dignum siet, ut expetatur, nam nihil est, quod fieri non possit. Nemo doctus nascitur, sed in mente cuiusvis hominis insidet species eximia quaedam pulchritudinis, omnes trahimur ad cognitionis et scientiae cupiditatem, in qua excellere pulchrum esse putamus, nam docto homini vivere est cogitare. Dextram offero, dextram dextrae iungo. Bono sitis animo! Pergite, ut facitis! Mihi semper favere et bene velle et suffragari velitis. Macte etiam et etiam Vos virtute esse iuberem. Utinam maneatis incolumes. Deus Vos sospitet etiam mei benevole memores. Havetote. valetote!

AMICUS

# Laudo illud templum Musarum Mediolani situm . . .

Mediolani sunt magna artificia, e quibus exstat illud templum Musarum, nomine Scalae, quod apud homines musicae classicae deditos in altissimo gradu collocatum est. Quid satis dici potest de cantoribus divino spiritu afflatis, quid de hominibus symphoniacis ingenio uberrimo affluentibus, quid de illis viris numeris praeaeuntibus (Dirigenten), quorum studium canendi in maxima frequentia audientium nititur? Magno ardore animi instincta spectaculis huius generis quam saepissime intersum.

Pridie diei Christi natalis "Lohengrin" illud opus omnibus numeris perfectum audivi atque spectavi. Spectaculum illud sane omnes sensus impellit et iam specie prima acriter commovet.

Partes primae equitis divini, nomine Lohengrin, a Peter Hofmann aguntur. Cantor ille mira voce media praeditus staturaque dilucida ornatus in scaenam prodiens animos spectatorum ad memoriam historiae germanicae revocat. Ex temporibus heroicis emergere videtur: homo tamquam deus.

Ut taceam Elsae, Ortrudae, Henrici regis, Friderici ducis brabantini partes actas a cantricibus cantoribusque eximiis, quid non dicam de dissignatore scaenarum, Giorgio Strehler, qui nativa ingenii forma animos spectantium valde delectat. Scaena persaepe in lucem incertam immergitur praebens quandam speciem mysticam. Persaepe milites galeati huic luci immersi bipennibus vexillisque instructi videntur egredi imaginibus quibusdam artis pingendi hollandicae. Suspenso animo exspecto cycnum comitem fidelem equitis. Ecce illum . . . non apparet in scaenam prodiens, sed in parte scaenae posteriore cernitur. Natat, imaginis specie, modestus, in lacu ante castellum Gralis sito. Vixdum oculis subicitur. Ubi primum Lohengrin prodit, columnae ingentes scaenam ornantes moveri incipiunt. Sic mutatio rerum fit, sic iuvenis ille velut caelo demissus oculis proponitur

mortalium. Cum ultimum e conspectu hominum se aufert, columnae iterum moventur. Canticus equitis divini cycnum dimittentis mihi maximis in deliciis est. Haec sunt fere verba equitis Latine reddita:

Gratiam tibi refero,	Ut redeas solum
Cycne carissime.	Munus fortunae allatum!
Per fluctus rena	Confer in nos officia
In loca ea,	Fideliter praebita!
Unde adductus sum	Vale, cycne carissime.
Navicula tua.	

Barbara Meier

## De arte natandi saeculo XVI Turici culta.

Nicolaus Wynman natus est in Sanensi valle prope Friburgum Uetlandiae in Helvetia. Puer tredecim annorum in thermis tria milia passuum distantibus a Seduno (hodie Leukerbad), quo debilitatis corporis sanandae causa simul cum matre sua aliquamdiu moratus est, artem natandi didicit, postquam paene submersus et a spectantibus ex undis servatus est. Peritissimus natandi factus est ita, ut posteriore tempore aliquotiens homines e naufragio servaret, ut ipse in Colymbete suo asseverat. Eius dialogus, in quo colloquuntur duo amici, Pampirus (P), artis natandi peritissimus, et eius amicus Erotas (E) primum opus est huius artis docendae. Viennae discipulus fuit auctor Casparis Vellii Ursini (1493-1539), qui anno 1521 Basileam venit ibique Erasmus novit amicusque eius factus est. Nicolaus, iuvenis studiosus, in itinere Viennae Friburgum devertens Basileam visit, ubi Erasmus, adhuc ei non de facie notum, videre speraverat, sed delusus est, ut ipse in epistula Erasmo scripta narrat. Annis 1536-1538 professor erat

linguae Hebraicae et Graecae Ingolstadii, ubi "Orationem de laudibus linguae Hebraeae" 1538 et scriptum, cui titulus est "Herculis cum Antaeo pugnae allegorica et pia interpretaio" (Norimbergi apud Iohannem Petreium 1537) publici iuris fecit. Ultimum eius opus erat "Syncretismus, sive conspiratio nobilis Germaniae, totiusque Christiani orbis contra impiam Turcae tyrannidem" (apud Iohannem Gymnicum, Coloniae, anno 1541). (confer Sammlung bernischer Biographien, Bern 1884, Bd. 1, pag. 168/9)

ex epistula Erasmo scripta (Allen 2439):<sup>1</sup>

...cum<sup>2</sup> annis superioribus Vienna ascendens Friburgum Utlantie, que mihi est patria, semel revisurus, tui videnti gratia Basileam deflexissem, spe frustratus coactus fuerim (fui?) inde avelli. Verum deinde eodem reversus post biduum, quo in publico herebam diversorio, tandem mihi visus es die dominica in quodam coenobio, sacro adstans. Hinc domum revertentem, quod multi te comitentur (inter quos Beatus Rhenanus<sup>3</sup> tuusque Frobenius<sup>4</sup>) non ausus sum te alloqui. Sequor igitur; ubi ventum ad aedes, preit iuvenis, aperit ianuam; ingresso te occupo ex adverso lapidem, cui insidens vel domus saltem tuae contemplatione oculos simul atque animum oblectarem, cum alia ratione non liceret. Porro subiit mihi me tum stultitiae insimulare, qui Viennae ab Ursino<sup>5</sup> tuo non accipissem ad te litteras vel sic captata occasione te alloquendi. Verum utcumque cecidit, serio triumphabam Erasmus illum mihi conspectum.

### C O L Y M B E T E S

sive de arte natandi, dialogus et festivus et iucundus lectu, per Nicolaum Wynman, Ingolstadii linguarum professorem publicum.  
Anno M.D. XXXVIII.

Pampirus : .... Cum Turregi<sup>6</sup> in Helvetia puer etiamnum pene agerem, aestivo tempore vigeni nostrum, aut trigeni non raro commilitones in arundinetum egrediebamur simul.

Erotes : Quid facturi?

P : Locus is ab urbe mille circiter passibus abest<sup>7</sup>.

E : Perge.

P : Illic sibi quisque, ut volebat, ex arundinibus, quae grandiuscule in portu nascuntur interiorique littoris recessu, fasciculum ita fecisset (fecit?), ut praelongo collo rostroque anseris figuram prae se ferret, cui adpenderat commode suam quisque interulam (nam caetera domi relinquere solebamus vestimenta) instructo ordine sic baiulis ferebamur arundinibus, pedibus modo subremigantes.

E : Audaciam puerorum ferula bona a magistro animadvertendam, in tam profundo lacu!

P : Scilicet. Statua ibi est in alto aquae quadraginta non minus a margine passibus distans, praegrans lapidea saxo fulta ingenti S. Nicolai.<sup>8</sup>

E : Satius fuerat dictum Christophorum illic constitutum.

P : Eum divum cum ter ordine circumnatantes officiose salutassemus, quod is liberalis est pueritiae patronus, flexo cursu civitatem rectam petimus.

E : Tam longo tramite?

P : Maxime. Poena erat, ut qui ex ordine deflexisset, domi privaretur equo<sup>9</sup> suo.

E : Gravem mulctam.

P : Sic igitur instructa acie portas<sup>10</sup> intramus civitatis aquatiles, qua parte Lymacus ex stagno lacus sese exonerat. Ibi paratam succinentes cantilenam, per mediam labimur civitatem laeti.

E : Miror. Sed quid? Callebatis natandi artem sine praesidio pueri omnes?

P : Omnes probe.

E : Unde pueri etiam tam belle illic discunt nare?

P : Novisti quid possint in unaquaque re optimi praeceptores, scis dein quid non praestet usus assiduus, verus ille demum magister. Huc accedunt velut illeceb-

rae quaedam ad hoc studium fluuius amoenissimus vicinusque lacus. Diceres infantes mox, ut nati prodierunt, huc velut alludere.

E : Dicis anatum, non hominum prolem. ....

P : Neque vero solum pueri, sed et puellae iucundum tibi praeberent spectaculum.

E : Puellae?

P : Sic, aestate, vespere sereno, aqua diurno temperata sole, gregatim balneant post coenam, faterere Phocas atque Delphinos sic ludere in aquis....

P-: Est Turregi venustum templum,<sup>11)</sup> quod cum in modum rostratae sit in Lymaco exstructum navis, ab aqua nomen habet.

E : Quid deinde?

P : Circuitus est perelegans circum circa, nisi qua in arcu tam plagam pons operosus iungitur ecclesiae.

E : Perge.

P : Eo loci videres aestate certamen iuvenum. Per eum ambitum incitato cursu alios alii consequuntur in eam templi exteriorem partem, qua prorae instar fluminis impetus exceptus hinc atque hinc scinditur.

E : Quid tum tibi?

P : Ex eo loco praecipites desiliunt in fluminis profundum, idque ordine. Senatus consultum est, ut qui iam devolaturus proximum aliquem sequentem nomine non compellat, vel etiam non secum ex imo fundo argumentum ac velut testimonium quoddam, lapillum seu aliud quiddam, retulerit, poenam luat eam, ut indutus interula, deinde ab aliis praecipitetur.

E : Grave decretum.

P : Tibi sane, mi Erotas, intolerabile adhuc<sup>12)</sup> foret. Ibi cerne<sup>13)</sup> res, primum alatos pueros, mox trutas, postremo fundulos : Nam vitreo colore fluuius est....

### Notae

1 Epistula Nicolai scripta est tertio die mensis Martii anni 1531 (Allen 2439).

2 Friburgum Utlandiae, Uechtland, in Helvetia

3 Beatus Rhenanus, amicus Erasmi, Sletstadius, diu Basileae in officina impressoris et editoris Frobenii moratus est.

4 Iohannes Frobenius, typographus notissimus Basiliensis, qui Novum Testamentum ab Erasmo emendatum Graece cum versione Erasmi multaque alia opera Erasmi aliorumque in lucem edidit.

5 Ursinus, Caspar Velius Ursinus (1493-1539), anno 1521 Vienna Basileam venit ubi Erasmus novit eiusque amicus factus est.

6 Turregum: Turicum

7 Locus hic ab urbe mille circiter passibus abest, in ripa lacus ea parte, qua hodie Riesbach, vicus urbis Turicensis, est.

8 Statua ibi est: Statua D.Nicolai anno 1798 deleta est. Locus hodie litore artificiali circumventus a ripa in terra media circiter decem metra distat, qui antea, ut etiam e descriptione in dialogo nostro videmus, in medio lacu erat. Haec statua erat terminus piscationis Turicensis. (confer Kunstdenkmäler der Schweiz, Zürich, Bd.II,pag.451)

9 mulcta: poena

10 Lymacus: Limmat

11 venustum templum: hodie Wasserkirche, quae noniam insula in fluvio est, sed una ex parte tantum aqua alluitur, quia mole ripae adiuncta est hodie.

12 truta: Forelle

13 fundulus: Gründling

Hermann Koller

# Aenigma


1. ubi sacerdos sacrificium facit (Acc.sg.)
2. quae iterum orta est
3. coniunctim
4. properavit (fem./per elisionem ex duobus unum verbum fit)
5. oppidum in Venetis (Dat.)
6. deus Romanus

1		3	4	5	6
2					
3					
4					
5					
6					

Hoc aenigma composuit Daniel Weissmann

## S O L V T I O N E S

Solutiones aenigmatis, quod vobis in RVMORE VARIO 1+2/82 proposuimus, hic demonstrantur:



T	E	L	V	M
E	B	O	R	I
L	O	C	I	S
V	R	I	O	S
M	I	S	S	A

Et vulgus eadem pravitate insectabatur interfectum qua forerat viventem.

Tacitus, Hist. III, LXXXV

## TRAGOEDIA BENITI MUSSOLINI

Scriptis : Plinius Prioreschi  
 In Latinum converterunt : Ernestus Brehm  
 Thomas Coffey  
 Plinius Prioreschi  
 Copyright by P. Prioreschi 1978

### Personae

Benitus Mussolini, Dux  
 Galeatius Ciano, Ducis gener  
 Legatus Hispaniae  
 Legatus Germaniae  
 Magistratus Italicus (Italian government official)  
 Famuli  
 Legatus Japoniae  
 Umbra Caesaris  
 Arlequinus (larva Italica)  
 Miss Owen  
 Domina Rachel, uxor Ducis  
 Edda, filia Ducis  
 Clara Petacci, amatrix Ducis  
 Umbra Colae Rienzi  
 Senatores Magni Concilii Fascismi (Members of the Great Council of Fascism)  
 Romanus, filius Ducis  
 Stator (orderly)  
 Victorius, filius Ducis  
 Custos  
 Partiarum (Partisans) et vulgus  
 Partiarum (Partisan)

Mulier in luctu  
Vir caecus  
Centurio (Colonel)  
Voces

---

ACTUS I

Scaena I. Interior magnae aulae. Videtur in scaena solum pars cum fenestra longa ad podium deducente. Mussolini de tergo videtur dum ex podio ad populum contionatur. Ciano, minister rerum externarum gener Beniti Mussolini, legatus Germaniae, legatus Japoniae, legatus Hispaniae et varii alii magistratus gubernationis Italicae adsunt. Omnes a tergo videntur quia Benitum Mussolini ausculantes et spectantes fenestram circumstant.

Per totam tragoediam Benitus Mussolini camisiam (1) nigram gerit, militaris ornatus (2) sine insignia.

Mussolini (ad populum contionans): ...igitur necesse est vincere atque dico vobis nos victuros esse!!!  
(Exurdans plausus tonitruum similis diu ex populo auditur. Legati et magistratus etiam plaudunt. Brevi tempore Mussolini in aulam revenit. Plausus populi manet exurdans. Nonnullae voces super alias audiuntur).

Vox : Vivat Dux!!

Vox : Vivat Italia!!

Vox : Vincemus!!

Vox : Tollite Britanniam!!

Vox : Vivat Dux!!

Vox : Vivat Italia!!

Populus: DUX! DUX! DUX! DUX! DUX! .....(Fenestra longa clauditur et plausus populi subito decrescit quasi procul abesset. Clamor populi tamen per totam scaenam auditur).

Ciano: Dux! Hac hora fatali cum omnes gentes ac nationes potentiam copiarum fascistarum admirantur et timent, fidem nostram invincibilem in te, Dux novi populi Italici, confirmare volo. Te ad victoriam ineluctabilem sequemur ad moriendum prompti pro te patriaque.

Legatus Hispaniae: Dux! In nomine Caudilli et populi Hispanici cupio tibi populoque Italico manifeste nuntiare admirationem et concordiam Phalangis cum tota fide nostra in victoria fascismi.

Legatus Germaniae: Dux! In nomine Fuehreris offero tibi atque Italico populo salutationem Germanicae nationis. Est nunc Italia socius inexuperabilis in bello cum plutocraticis atque hostibus Fascismi.

Magistratus Italicus: Vivat Dux! Vivat Italia! (Plaudunt omnes. Famuli apportant vinum Campanicum (3)).

Legatus Japoniae: Imperator meus populusque Japonicus admirationem et concordiam tibi, Dux, significare volunt. Sunt ubivis in toto orbe terrarum gentes quae, praeda avaritiae plutocratum se democraticos appellantium, sperant ordinem novum qui victoriam ineluctabilem Italiae et Germaniae sequetur. Tibi, Dux, promittere possum Japoniam se ad hunc capitulum historiae gentium scribendum consociaturam esse.

Mussolini (ad legatos): Hic dies memoria repetetur. Populus Italicus coniunxit sortem suam cum populo qui solus Romanae potestati resistere potuit. Nemo Romanis Germanisque coniunctis obsistere poterit!



Legatus Germaniae (Extollens poculum vini Campanici (3)):  
Ad Italiam, socium Germaniae fortissimum!

Ceteri: Ad Italiam!

Mussolini (Extollens poculum): Ad Germaniam socium  
Italiae fortissimum!

Ceteri: Ad Germaniam!

(Legati Germaniae, Japoniae et Hispaniae, Ciano  
et Mussolini circulum formant)

Legatus Germaniae: Te duce, Italia potentissimum imperium  
facta est atque bellum hodie magnae Britanniae  
et iactanti Francogalliae induxit. Iam ex saecu-  
lari obscuritate Italia emergit. Hodie certe ci-  
ves omnes Italici propter patriam magnopere ela-  
ti sunt.

Mussolini: Certe fervor eorum verus et antiqua virtus mor-  
tua non est. Sunt qui putent servitudinem saecu-  
larem vestigia reliquisse, sed hic est dies ubi  
magnanimitas convenit atque fides in populi Ita-  
lici virtute.

(Aliquis longam fenestram aperit et exurdans plau-  
sus populi iterum auditur)

Populus: DUX! DUX! DUX! DUX! DUX! .....

(Mussolini ut fenestra claudatur adnuit. Plausus  
quasi procul iterum auditur)

Mussolini (legato Japoniae): Utinam virtus Samuraorum cum  
nostris sit! Multum interest credo populos qui  
heredes sunt invictorum antiquorum Germanorum,  
virtutis Samuraorum atque Romae, socios nunc esse

contra tabescentes populos qui licentiam - quam  
libertatem appellant - nobilissimam metam omnium  
gentium arbitrantur. (Pausa). Libertas! Eorum  
libertas proclivitatibus turpissimis humanae na-  
turae favet (pauza) quamquam populos a tyrannide,  
pessima inclinatione principatuum, protegit. Al-  
tera dignum pretium tutelae contra alteram est,  
cum in imperiis dictis democraticis gubernatio-  
nes, in potestate amentis vulgi, profecto ad ty-  
rannidem desperanter confugere possint ad navem  
rei publicae gubernandam (4). Imperia dicta demo-  
cratica, quia libertatem politicam permittunt,  
raro tyrannides fiunt, sed ad debiles, instabiles,  
inconstantes gubernationes habendas damnantur.  
Ergo imperia dicta democratica cum principatibus  
(5) contendere non possunt.

Legatus Germaniae: Iam vafre belli quod ipsi indixerunt ex-  
cusationes multas ac praeclaras machinantur. Li-  
bertas omnium gentium naturaliter excusatio ma-  
xima est.

Ciano (mordaciter): Ah ah! Elati sunt libertate sua! Sine  
ea scelus non floret! Privilegia stupratoris,  
percussoris sadici, mercatoris venenorum stupefa-  
cientium (6) conservanda sunt! Mafiam eluimus ex  
terra nostra sed coniurati illius honorabilis so-  
cietatis qui effugere potuerunt, tutam sedem in  
America reppererunt. America, liberorum terra!  
Felices illic erunt atque prosperi. Ardentissimi  
fautores Statuum Unitorum, ardentissimi patriotae!  
(Rident)

Mussolini: Plutocrates se exercere monopolium libertatis  
credunt. Roma libertatem veram habebat etiam qua-  
drupedibus illis. Ignari non intellegunt suam li-  
bertatem prodigentiam esse quae divitibus solis  
suppetit. Inveni aliquem satis pauperem, qui li-  
bertatem suam frusto panis vendet. Nationes sic-

ut Italia, Germania, Japonia, Hispania denudatae  
sua portione divitiarum capitalismi cupiditate  
nec habent tempus nec patientiam ad appetendam  
eam, quae libertas in nationibus plutocraticis  
appellatur.

Legatus Japoniae: Locupletes hostes sunt. Magna est eorum  
potentia industrialis. Magnam partem orbis terra-  
rum dominantur. Tamen, sicut pingua paucis cere-  
bro animalia non vident nisi necessitatem magis  
magisque vescendi atque pinguescendi. Virtutem  
disciplinae non intellegunt. Nunc hostes saeculis  
miseriae temperatos atque sustentos voluntate  
vincendi, non cupiditate epulandi, adversantur.

Legatus Germaniae: Nostri ad Lutetiam progrediuntur, non  
ultra Francogallia opulenter vivet.

Mussolini: Copiae nostrae nunc a meridie oppugnabunt.  
Iterum Gallia ad genua detruditur.

Ciano: Domini, simus cum Francogallicis benigni! Demum  
si non terribiles bellatores, excellentes coqui  
sunt atque mementote illi "savoir faire" eorum  
eorum foeminarum grati esse. (Rident)

Mussolini: Anglia durius pugnabit. Angli qualitatem quam  
Francogalli manifeste perdiderunt possident: Vir-  
tutem patiendi.

Legatus Germaniae: Videbimus quousque bombardationes nos-  
tras tolerabunt.

(Stator nuntium legato Germaniae portat)

Legatus Germaniae (nuntio percurso): Novissimis horis nos-  
tri hostium naves septem demerserunt.

Mussolini: Posthac vobiscum illo ludo certabimus.

Ciano: Classes nostrae aerea atque navalis paratae sunt.  
Potentiam fascismi Angliae orbique monstrabimus.

(Fenestra longa iterum aperitur. Iterum exurdans  
plausus populi auditur. Mussolini ad podium exit,  
populum salutatur)

Populus: DUX! DUX! DUX! DUX! DUX! .....

### SIPARIUM

- (1) Shirt
- (2) In military uniform
- (3) Champagne
- (4) The first is the worthy price for protection against  
the second in the so-called democratic countries when  
the governments, left at the mercy of the mindless  
crowd, could indeed resort to tyranny in a desperate  
attempt to keep the ship of state in steady course.
- (5) Authoritarian regimes
- (6) Addicting drugs = venena stupefacientia

(Scaenam II posteriore libello divulgabimus).

## Facete lepideque dictum

Nicolaus enim Sebastianus Rochus de Campoforti (vulgo  
Francogallice: Nicolas Sébastien Roch de Chamfort),  
1741 - 1794, de metaphysicis id opinatus est, quod de  
Vasconibus arbitratus est Iosephus Iustus Scaliger,  
1540 - 1609, qui: "Adseveratur de illis, inquit, ut lin-  
guam propriam intellegant, sed egmotipse eam rem incre-  
dibilem esse reor!"

# Litterae ad legentes

Honorata Domus editoria ephemeridis "Rumor Varius".

Vestram ephemeridem constanter accipio et semper articulus aliquis laetitia me afficit, praecipue carminibus gaudeo, ad quae adhuc nulla mihi copia adeundi erat. Quamquam Vobis ab illo tempore, quo mihi Vestram ephemeridem mittitis, non scripsi, tamen in animo gratiam erga Vos habeo magnam.

Labor culturae propagandae linguae mortuae difficilis est, praecipue ea de causa, quod his temporibus tantum in liturgia utitur.

Magnopere gauderem, si aliquando etiam mihi occasio gratiae refendae daretur.

Non ignoro, quales difficultates in ephemeride edenda appareant, plures enim ephemerides in melioribus conditionibus editae interierunt.

Si quis per litteras mecum colloqui vellet aut studium librorum commutandorum haberet, respondeat.

Equidem gratiam Vobis et habeo et habebo, quoad vivam, maximam.

Vojtech Letko  
Francisciho 11  
81108 Bratislava ČSSR



Cari legentes,

instat paschalis hebdomas, tempus Christiano cuique sanctissimum et saluberrimum. Scimus enim, si quidem veri sumus Christiani, ante circiter duo milia annorum filium Dei hac hebdomade nos omnes, peccatores qui sumus, servandi et ad vitam sempiternam vocandi causa primum mortem assumpsisse, tres autem post dies magna cum gloria resurrexisse omnibus ita demonstrans mortem nullo modo esse finem vitae.

Cuius facti tam mirabilis, in quo posita sunt fidei amoris speique nostrae fundamenta omnia, memores quotannis non caerimoniis tantum sollempnibus Deum laudamus, sed etiam canticis. Quorum duo, quae mihi maxime digna videbantur, quae Latine exprimerentur, in sermonem Romanorum transuli:

O CAPUT VULNERATUM (O Haupt voll Blut und Wunden)

- |  |  |
|--|--|
| 1. O caput vulneratum<br>dolore et risu,<br>divinum depravatum<br>spinarum vestitu.<br>Quod alias mereres<br>coronas regias<br>caelestes et honores,<br>ti fundam lacrimas.        | 2. Quae pateris, mi Deus,<br>sunt mea onera.<br>Sum ego verus reus<br>committens crimina.<br>Sum, Iesu, scelerator<br>qui meret bacula,<br>exstingue, o salvator,<br>mea facinora! |
| 3. Nunc tibi sint honores,<br>amice optime,<br>tuos propter dolores,<br>tu benignissime!<br>Heus, fac, ut tuo nitar<br>amore et fide<br>neque unquam dimittar<br>superbiae glacie. | 4. Cum meum est obire,<br>ne abeas a me!<br>Cum mors in me saevire<br>vult, fac aspiciam te!<br>Cum erit cor contritum<br>pavore maximo,<br>hoc redde expeditum<br>timore tu tuo!  |

Martinus Meier

Rochus parochus omnibus Latini colloqui sodalibus salutem dicit quam plurimam.

Hoc salutis anno ad finem vergente omnibus Vobis singulisque gratiae sunt agenda, quod vertente anno tam frequentes, tam fideles sessiunculis nostris aderatis, simul autem est optandum, ut anno quoque insequente eodem studio iisdemque promptis animis vivae Latinitati incumbatis. Quod quo facilius, libentius fieri possit, sessiuncularum dies sum annuntiaturus.

Congregabimur ergo

die XXIX mensis Ianuarii	die XXX mensis Iulii
die XXVI mensis Februarii	die XXVII mensis Augusti
die XXVI mensis Martii	die XXIV mensis Septembris
die XXX mensis Aprilis	die XXIX mensis Octobris
die XXVIII mensis Maii	die XXVI mensis Novembris
die XXV mensis Iunii	die XVII mensis Decembris

Quos dies, quaeso, in Kalendaria referre dignemini, ne oblivioni dentur.

Hoc tantummodo mihi restat, ut omnibus Vobis singulisque Domini natali diei laeta praestolantibus gaudia ex hac festivitate oriunda medullitus exoptem. Insuper sit Vobis annus salutis reparatae MCMLXXXII<sup>us</sup> ex omni parte vere salutifer.

Optime igitur valete Deo Vos sospitante!

Debam Duisburgo, die XVIII<sup>o</sup> mensis Decembris A.D. MCMLXXXI<sup>o</sup>.

Tuus Vesterque

*Vester N. Mentzelius parochus*

SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
(ich abonniere RVMOR VARIVS)

\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_

SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
DONO DATVM ALICVI  
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.  
(ich abonniere RVMOR VARIVS mit Rechnung an:)

\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_

Datum und Unterschrift:

für

RVMOR VARIVS  
Postfach 883

CH-8050 Zürich

RVMOR VARIVS  
Postfach 883

CH-8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

3+4/82

KALENDIS APRILIBVS

MCMLXXXII



RVMOR VARIVS



TOMUS 5

FASC. 34